



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Qvinta. De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ in
quatuor articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Ad secundum dicendum, quod (sicut dictum est) oportuit eum, qui peccata venerat tollere, esse à peccatoribus segregatum, quantum ad culpam, cui Adam subiacebat, & quem Christus à suo delicto eduxit: ut dicitur Sep. 10. Oportebat autem eum, qui mundare omnes venerat, non esse mundandum, sicut, & in quolibet genere motus primum mouens est immobile secundum illum motum: sicut primum alterans est inalterabile. Et ideo non fuit conueniens, ut assumeret humanam naturam in ipso Adam.

Ad tertium dicendum, quod quia Christus maxime debebat esse à peccatoribus segregatus, quantum ad culpam quasi summam innocentia obtinens, conueniens fuit, ut à primo peccatore usque, ad Christum perueniretur, medijs quibusdam iustis, in quibus præsulgerent quedam insignia futurae sanctitatis. Et propter hoc etiam in populo, ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quadam sanctitatis signa, quæ inciperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, & circumcissionem in signum fœderis consummandi: ut dicitur Gen. 17.

Sensus quaesiti.

POSTREMA tituli verba, nimirum ex stirpe Adæ posita sunt ad differentiam aliorum modorum, quibus poterat Deus ex infinita sua potentia & sapientia naturam aliquam humanam producere, & eam sibi personaliter copulare: Tres verò præcipuos modos recenset in expositione tituli Cai.

Forma Textus.

CONCLUSVS. est: Conueniens fuit, quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ. Probatur primò in argumento, sed contra auctoritate Scripturæ Luc. 3. Secundò auctoritate Augustini libr. 13. de Trinitat. cap. 18. ut patet in textu. Tertio, probatur tribus rationibus. Prima: quia hoc videtur ad iustitiam pertinere ut ille satisfaciatur qui peccauit; ergò de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secunda ratio est: quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem; ergò. Antecedens probatur; quia sic victor diaboli ex illo genere nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertia ratio est; quia per hoc Dei potentia magis ostenditur; ergò. Probatur antecedens; quia filius Dei assumendo naturam humanam ex stirpe Adæ assumpsit de natura corrupta & infirma id, quod in tantam virtutem & dignitatem est promotum.

Expositio Textus.

Vide pulchram & excellenti Theologo dignam speculationem Caiet. circa secundam rationem D. Tho. & ea quæ notat Porrecta circa respons. ad 3. & in appendice: Cætera perspicua sunt.

QVAESTIO QUINTA.

De modo vniõis ex parte partium humana naturæ in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de assumptione partium humane naturæ.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primò, utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

Naz. in D. Tho. 3. partem

Secundò, utrum assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem.

Tertio, utrum assumpsit animam.

Quarto, utrum assumere debuerit intellectum.

Ratio ordinis.

NOTIORIBVS secundum ordinem cognitionibus supernaturalis huius mysterij, quod ex assumpta carne dicitur Incarnatio procedens S. D. in hac quaestione de modo vniõis ex parte partium humane naturæ, inchoat à corpore proponens primò quaesitum in vniuersali in 1. a. 2. magis in particulari in 2. a. Deinde in 3. art. quaestionem mouet de anima in communi. Postremò specialiter querit de anima rationali in ult. a. singulos articulos singulis opponens hereticorum delirij.

ARTICVLVS I.

Utum filius Dei debuerit assumere verum corpus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Filius Dei non assumpsit verum corpus. Dicitur enim Philip. 2. quod in similitudinem hominum factus est. Sed quod est secundum veritatem, non dicitur esse secundum similitudinem: ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus.

Præterea, Assumptio corporis in nullo derogauit dignitati diuinitatis: dicit enim Leo Papa in sermone de Nat. quod nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio. Sed hoc ad dignitatem Dei pertinet, quod sit omnino à corpore separatus. Ergo videtur, quod per assumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

Præterea, Signa debent respondere signatis. Sed apparitiones veteris Testam. quæ fuerunt signa apparitionis Christi non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secundum imaginariam visionem: sicut pater Isaac vidit Dominum sedentem, &c. Ergo videtur, quod etiam apparitio filij Dei in mundo, non fuerit secundum corporis veritatem, sed solum secundum imaginationem.

Sed contra est, quod dicit Aug. in lib. 83. qu. Si phantasma fuit corpus Christi, fessellit Christus. Et si fessellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit phantasma corpus eius. Et sic patet, quod verum corpus assumpsit.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus, natus est Dei Filius, non putatus, quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum.

Et huius ratio potest tripliciter assignari. Quarum prima est ex ratione humane naturæ: ad quam pertinet verum corpus habere. Supposito igitur ex præmissis, quod conueniens fuerit filium Dei assumere humanam naturam, consequens est, quod verum corpus assumpsit. Secunda ratio sumi potest ex his, quæ in mysterio Incarnationis sunt acta. Si enim non fuit verum corpus eius, sed phantasticum; ergo nec veram mortem sustinuit: nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant, secundum veritatem gessit, sed solū secundum apparentiam quandam. Et sic etiam sequeretur, quod non fuerit vera salus hominis subsecuta: oportet enim effectum causæ proportionari. Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personæ assumptis: quæ, cum sit veritas, non decuit, ut in eius opere aliqua fictio esset. Vnde, & Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est, Luc. ult. cum discipuli conturbati, & conterriti, putabant se spiritum videre, & non verum corpus: & ideo se eius palpatum præbuit, dicens: Palpate, & videte: quia

quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa exprimit veritatem humanæ naturæ in Christo, per modum, quo omnes, qui verè in natura humana existunt, similes specie esse dicuntur: non autem intelligitur similitudo phantastica. Ad cuius evidentiam Apostolus subiungit, quod factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quod fieri non potuisset, si esset sola similitudo phantastica.

Ad secundum dicendum, quod per hoc, quod Filius Dei verum corpus assumpsit, in nullo est eius dignitas diminuta. Vnde Aug. dicit in lib. de fid. ad Pet. cap. 2. to. 3. Examinavit seipsum, formam servi accipiens, ut fieret servus: sed formæ Dei plenitudinem non amisit. Non enim Filius Dei sic assumpsit verum corpus, ut forma corporis fieret. Quod repugnat diuinæ simplicitati, & puritati. Hoc enim esset, assumere corpus in unitatem naturæ. Quod est impossibile, ut ex supra dictis patet. Sed salua distinctione naturæ assumpsit corpus in unitatem personæ.

Ad tertium dicendum, quod figura debet respondere rei, quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim secundum omnia esset similitudo, iam non esset signum, sed ipsa res: ut Damas. dicit in 3. lib. cap. 26. Conueniens ergo fuit, ut apparitiones veteris, essent secundum apparentiam, quasi figura: apparitio autem filij Dei in mundo, esset secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras. Vnde dicit Apostolus. 2. Col. 2. Quæ sumus vmbra futurorum, corpus autem Christi.

Sensus quaesiti.

MOVETUR hoc quaesitum ut veritas Catholica definiatur aduersus Manichæos, Marcionistas & alios hæreticos corporis veritatem in Christo negantes. Et sermo est de corpore phylico ad genus substantiæ pertinente.

Forma Textus.

CONCLUS. est: Filius Dei verum corpus assumpsit. Probatur primò authoritate Augustini in argumento, sed contra, & authoritate libri de Ecclesiasticis dogmatibus in corpore. Secundò probatur tribus rationibus. Prima est ex ratione humanæ naturæ: quia conueniens fuit Christum assumere humanam naturam; ergo, & verum corpus assumpsit. Antecedens patet ex quaest. præcedenti: Consequentia verò probatur; quia ad rationem humanæ naturæ pertinet corpus habere. Secunda ratio sumitur ex ijs, quæ in Mysterio Incarnationis sunt acta; quia, si corpus assumptum à Filio Dei non fuit verum corpus; ergo, nec veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum, quæ Evangelistæ de eo narrant, secundum veritatem gessit; sed solum secundum apparentiam quandam; ergo nec fuit vera salus hominis subsecuta. Probatur hæc secunda consequentia; quia oportet effectum causæ proportionari: causâ verò salutis est Christi mors, & aliæ Christi actiones, & passionibus; ergo, si Christus veram mortem non sustinuit, &c. non fuit vera salus hominis subsecuta. Tertia ratio sumitur ex dignitate personæ assumptis: Quia persona assumens est veritas; ergo verum corpus assumpsit. Consequentia probatur; quia veritatem non decet aliqua fictio. Vltimò probatur conclusio authoritate Domini Luc. vi. ut patet in textu.

Expositio Textus.

CONCLUSIO præsentis art. est fidei dogma certissimū in sacris litteris expressum Matt. 1. & Luc. 2. Vbi narratur Christi natiuitas ex Vir-

gine. Et Luc. vi. ut notatur in textu, & Ioan. 1. vbi dicitur: Verbum caro factum est. Et Rom. 1. Qui factus est ei ex femine David secundum carnem. Et ad Gal. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere. Quam veritatem Ecclesia in multis generalibus Concilijs firma fide à fidelibus custodiendam definiuit. Et Patres ac Scholastici Doctores pluribus argumentis ex diuina Scriptura & lumine naturali petitis comprobarunt. Concilia & Doctores nonnullos refert Medina super hoc art. Videndus est D. Thom. in 4. contra gent. cap. 29. & seq.

ARTICVLVS II.

B Vtrum filius Dei debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem, & sanguinem.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non habuerit corpus carnale, siue terrestre, sed celeste: dicit enim Apost. 1. ad Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo celestis. Sed primus homo, scilicet Adam, fuit de terra, quantum ad corpus, ut patet Gen. 1. Ergo etiam secundus homo, scilicet Christus, fuit de cælo, quantum ad corpus. Præterea, 1. ad Cor. 15. dicitur, Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Sed regnum Dei principaliter est in Christo. Non ergo in ipso est caro, & sanguis, sed magis corpus celeste.

Præterea, Omne, quod est optimum, est Deo attribuendum. Sed inter omnia corpora nobilissimum est corpus celeste. Ergo tale corpus debuit Christus assumere.

Sed contra est, quod Dominus dicit Luc. vi. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Caro autem, & ossa non sunt ex materia celestis corporis, sed ex inferioribus elementis. Ergo corpus Christi non fuit corpus celeste, sed carneum, & terrenum.

Respondeo dicendum, quod eisdem rationibus appareat, quare corpus Christi, non debuit esse celeste, quibus offensus est, quod non debuit esse phantasticum.

Primò enim, quia sicut veritas humanæ naturæ non saluaretur in Christo, si corpus eius esset phantasticum (ut posuit Manichæus) ita etiam non saluaretur, si poneretur celeste: sicut posuit Valentinus. Cum enim forma hominis sit quadam res naturalis, requirit determinatam materiam, scilicet carnes & ossa, quæ in hominis distinctione poni oportet, ut patet per Philosophum Met. 7.

Secundò, quia hoc etiam derogaret veritati eorum, quæ Christus in corpore gessit. Cum enim corpus celeste sit impassibile, & incorruptibile (ut probatur in primo de celo) si Filius Dei corpus celeste assumpsisset, non veresurisset, nec sitisset, nec etiam passionem, & mortem sustinisset.

Tertio etiam, derogaret veritati diuinæ. Cum enim Filius Dei se hominibus ostenderit, quasi corpus carneum, & terrenum habens, fuisse falsa demonstrationem, si corpus celeste habuisset. Et ideo in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur, Natus est Dei filius carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cælo secum afferens.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur de cælo descendisse dupliciter. Vno modo ratione diuinæ naturæ: non ita quod natura diuina in cælo esse desierit, sed quia in infimis nouo modo esse cepit, scilicet secundum naturam assumptam: secundum illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui in cælis est. Alio modo ratione corporis: non quia ipsum corpus Christi secundum suam substantiam de cælo descenderit, sed quia virtute celesti, id est Spiritu sancto est eius corpus formatum. Vnde

de Aug. dicit ad Orosium, exponens authoritatem indu-
ctam. Caelestem dico Christum: quia non ex humano con-
ceptus est semine. Et hoc etiam modo Hilarius exponit in
4. 10. 4. lib. de Trin.
10. de Trin.

Ad secundum dicendum, quod caro & sanguis non
accipiuntur ibi pro substantia carnis, & sanguinis, sed
pro corruptione carnis, & sanguinis. Quae quidem in
Christo non fuit quantum ad culpam: fuit tamen ad
tempus quantum ad penam, ut opus nostra redemptionis
expleret.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipsum ad maximam
Dei gloriam pertinet, quod corpus infirmum & terre-
num ad tantam sublimitatem prouexit. Unde in Ephe-
synodo legitur verbum S. Theophili dicentis. Qualiter ar-
tificum optimi non in pretiosis tantum materiis arte
estidentes, in admiratione sunt, sed vilissimum lutum,
& terram dissolutam plerumque assumptes, suae disci-
pline demonstrantes virtutem, multo magis laudantur:
ita omnium optimus artifex Dei Verbum, non ali-
quam pretiosam materiam corporis caelestis apprehen-
dens, ad nos aduenit, sed in luto magnitudinem suae ar-
tis ostendit.

Sensus quaesiti.

PROPOSITUM hic. aduersus haeresim Va-
lentinianam, ut patet in textu.

Forma Textus.

CONCLUSIO est: Corpus Christi non fuit corpus
coeleste, sed carneum & terrenum. Proba-
tur primo eisdem medijs, quibus ostensum est non
debuisse esse phantasticum; Primo, quia sicut veri-
tas humanae naturae non saluaretur in Christo, si
corpus eius esset phantasticum, ut posuit Mani-
chaeus, ita etiam non saluaretur, si poneretur coe-
leste, sicut posuit Valentinus; ergo. Assumpta
conditionalis probatur; quia forma hominis est
quaedam res naturalis; ergo requirit determinata
materiam, scilicet carnes, & ossa; ergo sicut
veritas humanae naturae, &c. Probatur haec se-
cunda consequentia; quia determinata materia,
scilicet carnes & ossa necessario ponenda est in
definitione hominis. Secundo probatur conclusio;
quia hoc derogat veritati eorum, quae Christus in
corpore gessit, scilicet esurire, sitire, pati, & mo-
ri: ergo. Probatur antecedens; quia corpus coe-
leste est impassibile & incorruptibile; ergo si Filius
Dei corpus coeleste assumpsisset, non verè esu-
risset, nec sitisset, nec passionem & mortem su-
stinuisset. Tercio probatur conclusio; quia hoc
derogaret veritati diuinæ; ergo. Probatur assum-
ptum; quia Filius Dei se hominibus ostendit,
quasi corpus carneum & terrenum habens; quae
demonstratio falsa fuisset si corpus coeleste ha-
buisset; ergo. Ultimo probatur conclusio autori-
tate libri de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 2. ut patet in
textu.

Expositio Textus.

SUA REZ disp. 15. sect. 3. Vasquez disp. 36. cap. 1. &
2. & Alvarez in Expositione Textus referunt &
confutant multos errores antiquorum haereticorum
huius & praecedentis articuli conclusionibus
aduersos. Bellarminus autem tom. 1. lib. 3. de
Christo, cap. 1. recenset omnes nostri temporis ha-
reticorum errores circa mysterium Incarnatio-
nis. Valentia puncto 2. disputat aduersus haereti-
cos corpori Christi ubiuitatem tribuentes. De
qua latissime disputat Bellarminus loco not. à c. 11.
vsq. ad 20. inclusiuè.

Quid ex dictis S. D. directè, quidve indire-

ctè sequatur, explicat optimè Suarez in Commen-
tar.

Circa respons. ad primum argum. D. Thom.
Vbi exponuntur illa Apostoli verba ex Epistol. 1.
ad Cor. cap. 15. Primus homo de terra terrenus; secun-
dus homo de caelo caelestis, videnda est interpre-
tatio Caiet. & expositiones, quas ex Patribus re-
fert Suar. in alleg. sect. 3. versus fin. Vide etiam ele-
gantem expositionem S. D. in Comment. loci pra-
dicti.

CONTROVERSIA VNICA.

AN Filius Dei ad vnitatem sui personalem assumpse-
rit sanguinem, & tres alios humores, & dentes &
capillos & ungues & spiritus vitales & anima-
les?

DE SINGVLIS huius Controuer. partibus
variae sunt Doctorum opiniones. Prima sen-
tentia fuit Durandi in 4. dist. 10. quaest. 1. numer. 19.
dicentis, sanguinem non fuisse immediatè ac
verè vnitum hypostaticè Verbo, sed habuisse
propriam substantiam & fuisse assumptum à
Verbo tantum remotè, quatenus erat sanguis
humanae naturae, quae personaliter erat vnita
Verbo: quam secuti sunt Franciscus de Maioribus
in 4. dist. 43. & in sermone qui incipit: Memo-
riam fecit. Et Gabriel in Canonem, lect. 53. & sup-
plementum Gabrielis in 4. dist. 44. q. 1. prope finem.
Eandem opinionem quoad sanguinem à Chri-
sto separatam in triduo mortis tenuit Abulen-
sis Paradoxo 2. cap. 4. & 43 & Ricardus in 3. dist. 2. a. 2.
quaest. 1. ad 2. Docet tamen Abulen-
sis, Filium Dei non solum sanguinem sed etiam pilos & vn-
gues & alias minus principales partes assumpsisse.

Secunda sententia est Caietani inf. quaest. 54. a. 2.
dicentis duplicem in Christo, sicut etiam in cæ-
teris hominibus sanguinem extitisse, alterum
nutrimentalem, quem ait humorem fuisse san-
guineum adhuc crudum, hoc est non redactum
adhuc perfectè in sanguinem, qui pars est homi-
nis: atque ideo non esse partem hominis integra-
lem: alterum perfectè decoctum & veram habentem
sanguinis naturam: ac proinde pertinentem
ut partem integram ad veritatem humanae na-
turae: & priorem quidem sanguinem negat vni-
tum fuisse personaliter Verbo Dei: posteriorem
autem affirmat diuini Verbi personalitate fuisse
terminatum: Eandem sententiam sequitur, & ex-
plicat Syl. in suis quaestionibus post Auream Rosam, q.
31. Vbi sententiam hanc tribuit D. Tho. ut patet
etiam ex eius quaest. sequenti, s. 32. Eandem etiam
tuetur Aluar. disp. 28.

Tertia sententia fuit Capr. in 4. dist. 10. qu. 2. ad 4.
contra 1. concl. Quam sequitur Sotus eadem dist. q.
1. a. 2. & dicitur etiam placuisse Victoriae. Docet
hac opinio sanguinem non esse partem huma-
nae naturae; & tamen assumptum fuisse à Filio
Dei.

Quarta sententia est Meding super hoc a. qui sex
propositionibus suam explicat opinionem. Pri-
ma propositio est: Sanguis in Christo Domino
fuit vnitus Verbo hypostaticè; & contrarium as-
serere est magnus & intolerabilis error. Se-
cunda propositio est: Licet sanguis non esset
pars humanae naturae & haberet formam distin-
ctam non cogimur dicere Filium Dei assumpsisse
se duas naturas. Tertia propositio: Licet conce-
datur quod sanguis fuit vnitus Verbo diuino,
non compellimur idem dicere de cæteris humo-
ribus.

ribus. *Quarta* propositio: Illa sententia quod sanguis est pars continua humani corporis, & informatur animae rationali, quantum ad esse vegetabile, mihi maxime probatur & est valde consentanea fidei. *Quinta* propositio: asserere quod omnes quatuor humores sunt vniti Christo personaliter, est doctrina diuinae Theologiae maxime consonum. *Vltima* propositio: Capilli & vngues in Christo informabantur animae rationali, & erant vniti personaliter diuinitati, capillos tamen attonfos ab vnione sua personali dimisit. Eandem ferè sententiam sequitur Suarez, & addit probabile esse spiritus vitales & animales fuisse assumptos: substantias autem, quas arbitratur esse medias inter cibum & alimentum, & sanguinem, quæ vocantur ros & cambium, non fuisse assumptas, eo quod non sint de veritate humanæ naturæ nec per se requisitæ ad perfectam consistentiam eius & ad vitæ operationes.

Vltima sententia est Vasquezij, qui dicit quinque. *Primum* est: distinctionem illam Caietani nullum in philosophia & ratione firmum habere fundamentum, & falsam & absurdam esse sententiam Caietani, quatenus asserit aliquem sanguinem non fuisse vnitum hypostaticè. *Secundum* est: nec sanguinem nec reliquos humores sanguini permistos viuere. *Tertium* est: reliquos humores, sicut & sanguinem assumptos fuisse. *Quartum* spiritus vitales fuisse Verbo personaliter vnitos. *Vltimum* est: capillos & vngues non viuere, & tamen fuisse assumptos. Valentia conuenit in primo dicto, & addit sibi probabilius esse, sanguinem informari animae rationali.

CONTROVERSIAE PARTITIO.

PRIMA PARS CONTROVERSIAE.

Resolutio.
Nomen tam sanguinis, quam sanguinis nutritivum esse multumplex, & non omnem sanguinem fuisse Verbo personaliter vnitum.

QUATVOR sunt huius Controu. partes. *Prima* est de sanguine. *Secunda* est de tribus alijs humoribus. *Tertia* est de dentibus, capillis & vnguibus. *Vltima* est de spiritibus vitalibus & animalibus: de quibus singulis breuiter, ac distinctè agendum est: Igitur

AD PRIMAE partis euidentiam considerandum est primò, nomen sanguinis æquiuocum esse ad sanguinem propriè dictum, qui vnus est ex quatuor humoribus & pars est actû corporis humani, ad eius integritatem & perfectionem pertinet, & ad sanguinem minus propriè dictum, qui scilicet nondum habet formam & speciem sanguinis, sed ad eam tendit per actionem caloris illum continuè transmutantis: & idè non est actû pars humanæ naturæ, sed est humor nutritivus non plenè decoctus, quem Caietanus infra quæst. 54. artic. 2. sanguinem nutritivum appellat, per hoc distinguens eum à sanguine perfectè decocto, qui est de veritate humanæ naturæ, qui sanguis simpliciter nuncupatur. Et ex hac sequitur alia differentia, nimirum sanguinem propriè & absolutè dictum fuisse Verbo diuino personaliter vnitum: sanguinem autem minus propriè dictum non fuisse Verbo personaliter vnitum. Has differentias explicat latè Syluester in Aurea Rosa, qu. 31. affirmans sanguinem illum, qui terra mistus in ampulla vitrea sanctæ Mariæ Magdalene in Ecclesia sancti Maximini conseruatur, non esse sanguinem perfectè decoctum, sed sanguinem nutritivum: quod idem asserit de sanguine, qui Mantuæ à Longino,

ut fertur, delatus in Ecclesia sancti Andree custoditur. Esse autem in humano corpore sanguinem hunc nutritivum à Caietano & Syluestro nuncupatum probari potest primò: quia cibus virtute caloris naturalis alteratus mutatur in sanguinem: at sanguinis formam & speciem non habet, antequam recipiatur in epate secundum medicos, vel in corde secundum Arist. sed tamen in colore & alijs: accidentibus magnam habet cum sanguine affinitatem: ideo sanguis nutritivus à Caietano & alijs nuncupatur; quia scilicet humor nutritivus est in sanguinem proximè conuertendus, & est illi simillimus. Secundò quoniam ut tradunt Medici, in venis alij tres humores, scilicet pituita, cholera & melancholia, sanguini sunt admisti non quidem mixture perfectæ; sed per iuxta positionem, & virtute caloris quidam ex illis vertuntur in sanguinem, quod pituita in venis existenti certum est non raro contingere, ut docent artis medicæ professores: itaq; pituita cum in sanguinè transmutatur & eius nonnullam habet similitudinem, sed nondum formam & speciem est assecuta, sanguis improprie & cum addito scilicet nutritivus in sensu Caietani non incongruè potest appellari. Sed obseruanda est magna differentia inter sanguinem hunc nutritivum ex pituita genitum, & alium sanguinem nutritivum qui proximè ex alimento aut ex chile generatur in epate, aut in venis ducentibus ad epar, quas Medici meseraicas appellant, quoniam hic sicut non informabatur anima, ita nec vniebatur Verbo personaliter: ille verò quia informabatur anima, ut infra declarabitur, erat etià Verbo personaliter vnitus. Sed obseruandum est secundum D. Thom. in 4. dist. 44. quæst. 1. artic. 2. quæst. 4. & quodlib. 5. art. 5. sanguinem omnem ex cibis generatum ac perfectè concoctum esse ac dici sanguinem nutritivum, quod etiam asserunt artis medicæ professores, & sanguinem qui quandoque fuit actû pars humani corporis, non secundum totam sui quantitatem ad veritatem humanæ naturæ pertinere: sed secundum eam tantum, quæ ad debitam corporis humani perfectionem est necessaria: Et idè Petro resurgente non resurget in eo tota quantitas sanguinis, quæ in toto vitæ decursu fuit in eo & successiue defluxit: esset enim immoderata & eius corpori minimè proportionata; sed ea tantum quæ ad debitam corporis perfectionem & quantitatem est necessaria. Quod idem dicendum est de Christo resurgente: ita tamen ut asseramus, sanguinem omnem in passione fufum pro generis humani redemptione ad eius corpus in resurrectione rediisse, ut probat S. D. in allegato quodlibeto, quod intelligendum est de sanguine propriè & vniuocè dicto, quod scilicet formam habet & speciem sanguinis: ut notat Sylu. in alleg. qu. 31. & 32. cruidum enim nutrimentum, quod nondum formam & speciem sanguinis est assecutum, nomine sanguinis apud D. Th. minimè comprehenditur: Nec tamen ineptè Cai. Sylu. & alij Thomistæ recentiores vocabulum sanguinis ad illud extendunt, propter similitudinem eius ad verum sanguinem superius explicatam.

Secundò notandum est ex D. Thom. in 4. dist. 44. qu. 1. a. 2. qu. 4. & Syluestro in dicta qu. 31. in statu mortalis vitæ triplicem sanguinem esse homini necessarium. *Primus* est qui veram & propriam habet formam sanguinis; & hic simpliciter appellatur sanguis. *Secundus* est, qui iam est in via transeundi de forma sanguinis in formam membri, puta carnis &c. Et hic potest in duplici statu con-

statu considerari primò, vt est in principio transmutationis & sic dicitur Ros. Secundò, vt est in progressu transmutationis & incipit dealbari & sic vocatur Cambium, quòd est quasi tertium genus sanguinis. In statu verò resurrectionis in quo cessat actio caloris resoluentis primus tantum sanguis est necessarius: & ideo in nullo resurgente erit ros, aut cambium: ac proinde si aliquid de huiusmodi sanguine ex Christi corpore in passione fuit effusum, non fuit ab eo reassumptum, sed dimissum, & à fidelibus veluti sanguis è terra collectum, & summa cum veneratione custoditum; quamvis veram sanguinis speciem non haberet, sed coloris tantum & aliorum accidentium similitudinem, sicut de sanguine nutrimentali iuxta sententiam Caiet. dictum est. Notandum est autem hic obiter lapsus Suarez *sect. 7.* dicentis, cibum priusquam in sanguinem conuertatur, in Rorem, & in Cambium conuerti, quod non solum aduersatur doctrinæ D. Thom. sed etiam communi & vulgata sententiæ Medicorum. Hæc autem esse non solum veritati, sed etiam doctrinæ D. Th. consona defendit Sylu. in dicta qu. 31. & 32. quem lege, si placet: Vide etiam quæ de Christi sanguine scribunt hic Med. & alij recentiores. Videnda sunt præterea quæ scribit Caietanus de natura sanguinis comparatione partium solidarum humani corporis *super hoc a. & 1. p. q. 119. a. 1. circa resp. ad 3. & inf. q. 44. a. 2.*

Postremò sciendum est secundum Arist. lib. 3. de partibus animalium: Principium venarum omnium, & sanguinis esse cor: ac proinde totum illum humorem fluentem à venis meseraicis vsque ad cor habere quidem sanguinis similitudinem: non tamen esse verè, & vniuocè sanguinem, qui sit actu pars humanæ naturæ; & huius sanguinis pars potuit per vulnus lanceæ ex corpore Saluatoris exire, & in terram defluere, & à pijs viris, & mulieribus colligi, & in Ecclesia vsque ad hæc nostra tempora conseruari.

SECUNDA PARS Controuersie. An Alij tres humores humani corporis à Verbo fuerint assumpti?

S. D. in 4. dist. 44. quæst. 1. artic. 2. quæst. 3. in corpore docet sanguinem & alios tres humores, scilicet pituitam cholera & melancholiam habere formam determinatam, secundum quam continentur intra partes corporis; & tamen ordinari ad membra, quæ ex eis generantur: quod latius ibidem explicat in solutione tertij argumenti. Vbi etiam affirmat eos perfici, id est informari ab anima rationali. Verba D. Thomæ sunt: Sicut elementa sunt in via generationis respectu corporum mixtorum; quia sunt eorum materia: non autem ita, quòd semper sint in transeundo in corpore misto: ita & humores se habent ad membra: & propter hoc, sicut elementa in partibus vniuersi habent formas determinatas, ratione quarum sunt in partibus vniuersi, sicut corpora mista, ita & humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & alia partes, nec elementa habent ita perfectas formas, sicut mista: sicut autem partes omnes vniuersi perfectionem à Deo consequuntur, non aequaliter, sed secundum suum modum vnumquodque: ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali: non tamen eodem modo, sicut partes perfectiores. Cum igitur humores ad perfectionem pertineant humani corporis & informantur ab anima; sequitur euidenter eos assumptos fuisse à Verbo Dei, qui perfectam & omnibus numeris absolutam humanitatem sibi in vnitatem personæ copulauit. Quæ veritas satis perspicue ab Innocentio III. in cap. In quadam de celebratione Mis-

sa farum videtur fuisse definita: sic enim post multa in ea decretali concludit: Cum autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet Terra, aqua, aer, & ignis, & ad vegetationem eiusdem corporis quatuor humores consimiles illis, videlicet sanguis, cholera, pblegia, & melancholia, vt veritatem humani corporis expressius demonstraret, vnum ex illis, & vnum ex istis Ioannes expressit, &c. Philosophus tamen pituitam & bilem quandoque vocat excrementa; tum quia non per se ordinantur ad corporis nutritionem, vt sanguis; tum etiam quia licet ex sui ratione sint partes humani corporis ad eius integritatem pertinentes; sæpè tamen vt excrementa redundant.

TERTIA PARS Controuersie. An dentes, capilli, & vngues fuerint à Verbo assumpti?

Capillos & vngues à Verbo assumptos fuisse docet Angelicus Doctor in 4. dist. 44. quæst. 1. firmantem artic. 2. quæst. 2. ad 3. quoniam (inquit) capilli & vngues nutriuntur; ergo aliqua operatione participant; ergo necesse est vt ab anima perficiantur: & cum in homine sit vna tantum anima, scilicet anima rationalis: consequens est vt ab anima rationali perficiantur; non tamen vt operatione sensus participant, sicut nec ossa; quæ tamen constat esse de integritate indiuidui. Eadem itaque ratione dentes vniti fuere Verbo personaliter; quoniam & ipsi nutriuntur & crescunt, sicut ossa, capilli & vngues, & non minus sed multò magis quàm capilli & vngues ad humani corporis attinent perfectionem. Capillos autem, de quibus maior potest esse dubitatio, probat Suar. *sect. 7. disp. 15.* fuisse Verbo personaliter vnitos productis Sanctorum dictis, quibus Vasq. oppositam sententiam tenens, minimè satisfacit; sed à proposito diuertit, vt patet legenti eius verba, cap. 7. *disp. 36.*

VLTIMA PARS Controuersie. An spiritus vitales & animales fuerint à Verbo assumpti?

Vtramque partem vt probabilem defendit Suarez in allegata *sect. 7.* sed veram esse partem affirmantem probatur; quia spiritus vitales & animales necessarij omnino sunt ad humani corporis conseruationem secundum eius naturalem statum & ad operationes vitæ: ac proinde pertinent ad veritatem & integritatem humanæ naturæ, sicut sanguis & alia prædicta: & ideo tales spiritus manebunt etiam in corpore glorioso.

Sed ait Suar. non esse omnino eandem rationem; eò quòd humores substantiam habeant magis stabilem & constantem: atque adeò magis intrinsecè necessariam corpori humano: Spiritus autem ferè continuam habent transmutationem: & ideo magis videntur esse extra humanæ naturæ integritatem. Sed facile reijcitur dicendo partes humani corporis ad perfectam humanæ naturæ constitutionem ordinatas suapte natura diuersam dispositionem, naturam & essendi modum postulare; vt patet in ossibus, neruis, carnibus & humoribus: ex his enim quædam habent modum essendi firmum & stabilem, vt ossa, quibus proximè accedunt nerui; quædam autem ex parte consumuntur & reparantur, vt carnes: quædam autem minus stabilia sunt, vt humores ac præsertim sanguis, qui cum sit actu corporis pars, adhuc est in potentia ad alias stabiliores corporis partes; quid mirum ergò, si spiritus vitales & animales ad operationes vitales & animales per se primò directi magis variabilem ac instabilem habeant essendi

modum: stabilitas enim eorum naturæ & officio in hoc statu naturæ mortali minimè congruebat; post resurrectionem autem quia natura humana perfecta donabitur incorruptibilitate, spiritus cum sua locali mobilitate absq; vlla corruptione durabunt. Et quemadmodum sanguis fluxibilem in venis habens naturam perficitur, tanquam pars humani corporis ab anima rationali tanquam forma, ita spiritus vitales & animales, tametsi facilè mobilis ac transmutabilis sint naturæ, perficiuntur & informantur ab anima rationali, tanquam partes ad integritatem humani corporis pertinentes.

*Edelaciones,
d. d. 2. c. 2.
probat.*

PRIMA CONCL. Sanguis propriè & absolutè dictus, & alij tres humores, dentes, capilli, & vngues, & spiritus vitales & animales informantur ab anima. Probatur: quoniam hæc omnia sunt de veritate & integritate humanæ naturæ; ergo informantur eadem forma substantiali, quæ est anima intellectiua. Antecedens patet ex dictis: Consequentia verò probatur: nam alioquin homo non esset vnum numero, sed per aggregationem multarum specierum, vel ad summum haberet ordinis vnitatem, sicut vniuersum; quæ non est vnitatis essentialis seu substantialis, sed accidentalis.

SECUNDA CONCLUSIO. Sanguis nutritivus, qui ex cibis proximè generatur & nondum est perfectè concoctus; atque idè nec propriè nec absolutè, sed cum addito sanguis est, sicut non informatur ab anima, ita nec assumptus fuit à Filio Dei ad vnitatem personæ. Probatur: quoniam hic sanguis non pertinet ad veritatem aut integritatem humanæ naturæ; sed merum est illius nutrimentum.

TERTIA CONCLUSIO. Sanguis ex alimento generatus, & perfectè decoctus, quem S. D. nutritivum appellat, sicut informatur anima intellectiua, ita fuit à Verbo assumptus, & eis fuit semper vnus, etiam quando in triduo mortis fuit ab alijs partibus corporis separatus. Hanc conclusionem probat latè Sylvester & alij recentiores supra nominati; & est dogma fidei certissimum.

QUARTA CONCL. Alij tres humores, scilicet pituita, bilis, & melancholia suere semper Christo personaliter vnii. Hæc patet ex dictis.

QUINTA CONCL. Sanguis nutritivus ex pituita, aut alio humore genitus; sed nondum veram sanguinis formam assecutus vniebatur Filio Dei personaliter. Probatur: quia humor ille ex hoc, quod actu conuertitur in sanguinem, non desinit esse pars actu humanæ naturæ; sicut nec sanguis, cum actu conuertitur in carnes, desinit esse pars integralis actu humanæ naturæ.

SEXTA CONCL. Ros & Cambium in Christo vniebantur actu personæ Verbi. Probatur eodem medio quo præcedens. Et confirmatur: quia ros & cambium informantur anima intellectiua non minus, sed multo magis, quam sanguis & alij quatuor humores, cum nobiliores habeant dispositiones: ergo.

SEPTIMA CONCLUSIO. Dentes, capilli, vngues & spiritus vitales in Christo existentes erant vnii Verbo personaliter. Hæc sequitur ex prima conclusione. Deinde probatur: quia hæc omnia pertinent saltem secundariò, ad integritatem & perfectionem humanæ naturæ: & idè dentes, capilli &c. qui nunc sunt in Christo, eandem cum illo retinent vnitatem.

*Argum. &
soluciones.
Obi. 1. cõtr.
concl.*

CONTRA primam concl. argumentatur Vasq. probans sanguinem non viuere. Primò, quia S. Th. 1. p. q. vlt. a. 1. ad 3. ait, humidum radicale esse illud, in quo fundatur virtus speciei; quòd si subtrahatur restitui non potest; sed humidum nutritivum esse id, quod nondum peruenit ad susci-

piendum perfectè naturam speciei: ergo. Responsum nullum esse consequentiam; quoniam humidum nutritivum quale est sanguis, licet non perfectè participet naturam speciei; quia non est pars corporis solida, vt caro &c. participat tamen imperfectè naturam speciei & modo suæ naturæ conuenienti; quatenus sc. ita pars integralis est humani corporis, vt via sit ad partem eiusdem corporis perfectiorem, vt ibi notat Caietanus, qui sua declaratione prædictum diluit argumentum.

Secundò S. D. infr. quest. 31. art. 5. ad 1. inquit, idè Verbum sumpsisse humanitatem de sanguine Virginis, non de carne, aut de osse, ne minueret illius naturam; auferens id quod actu erat pars humanitatis ipsius; sed de sanguine, qui nondum erat pars: intelligit autem (inquit) partem animatam & viucentem vita totius. Responsum. sanguinem illum nõ fuisse actu partem scilicet perfectam & solidam, sed imperfectam cum tendentia ad partem perfectiorem: & idè potuisse absque diminutione propriè & simpliciter dicta ex eo sanguine formari corpus Christi. **Secundò dico,** sanguinem illum fuisse quidem actu partem modo dicto, sed non pertinuisse ad necessariam integritatem & perfectionem virginis corporis, sed ex diuina prouidentia media operatione naturæ ad hoc fuisse præparatum vt esset diuinæ conceptionis materia: si namque in cæteris humanis corporibus non est vsque adeo determinata sanguinis latitudo, vt salua corporis perfectione & sanitate non possit aliqua pars per venæ sectionem, aut alio aliquo modo subtrahi, multò magis existimandum est in SS. Incarnationis mysterio peragendo tantam in Virgine fuisse sanguinis quantitatem, quantam simul ad corporis B. Virginis perfectionem & ad fœtus miraculosè concepti formationem erat necessaria.

Tertiò, Aristot. 3. de partibus animal. cap. 5. aper- tè docet sanguinem esse totius corporis materiam; sed hoc verum esse non posset, nisi sanguis esset in potentia, vt per nutritionem substantia- liter transmutatus in quamlibet aliam partem viueret eadem anima; qua & reliquæ partes. Et 2. de partibus animalium, cap. 3. sic ait: Cum omnibus alimentis; omnisq; accrementi conceptaculum aliquid habere necesse sit, venæq; quasi vasa sint sanguinis patet sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum. Ad rationem autem vltimi alimenti pertinet, vt sit alterius naturæ ante conuersionem, hoc est, vt sit naturæ diuersæ à natura totius in quod conuertitur, vt testatur Arist. libr. 1. de Gen. & Cor. tex. 29. & 38. & libr. 2. de Anima, text. 45. demum 3. de partibus animalium, cap. 5. docet sanguinem esse irriguum per venas, deriuariq; per illas in totum corpus, ob eandem causam, qua aqua ducitur per sulcos & riuulos in olera & plantas, nempe vt sit alimentum corpori, sicut aqua est oleribus & plantis: Addit præterea venas in poros desinere; & quia parui sunt & admodum constricti, non patere per illos viam sanguini: bene tamen humor, qui dum per illos emittuntur, constipatur & in sudorem resoluitur: atq; ob eandem causam contingit, vt aliquando, nimium laxatis poris sanguis aliquis crudus effluat. Respond. sanguini duo conuenire: alterum est, vt sit actu pars corporis animalis: alterum est, vt sit in potentia ad alias partes, & ratione huius secundi dicitur esse totius corporis materia, quo ad partes eius perfectiores & solidas & dicitur vltimum eius alimentum, & dicitur esse irriguum per venas ad instar aquæ &c. sanguis

Replicat.

Sol.

guis aut ille crudus, qui ex poris nonnunquam emittitur, videtur esse materia pituosa nondum perfecte in sanguinem cōuersa, quæ cum sit subtilis, per poros egreditur. *Sed instat Vsq.* Quia nutritio est substantialis transmutatio, qua cor rumpitur forma alimenti, & acquiritur forma aliti; at si sanguis viueret, substantialiter transmutari non posset in alias partes eadem vita viuentes; ergo vel nutritio non esset transmutatio substantialis sed accidentalis, aut nutritio solum esset transmutatio cibi in sanguinem, quorum neutrum nullus hactenus Philosophus dixit. *Resp.* alimentum in corpore animalis plures status & essendi modos habere. Primus est ante perfectam concoctionem, id est antequam conuertatur in sanguinem & deriuetur ad venas. Secundus est, quem habet in venis in quibus iam est actu pars animalis & informatur ab anima secundum gradum vegetatiuum, & est proximum ceterarum partium solidarum alimentum. Tertius, quando ex sanguine transit in rorem & cambium. Vltimus est, quando fit gluten & mutatur in carnem, neruos, ossa &c. & dum ab vno statu in alium transit, actum exercet nutriendi. Nec tamen quælibet mutatio & actus nutriendi siue nutritio est substantialis transmutatio; sed prima tantum, qua scilicet à primo statu transit ad secundum. Aliæ verò mutationes accidentariæ sunt, quia cum alimentum iam sit animatum eadem anima, qua totum animal in esse constituitur, nulla secundum ordinem naturæ fieri potest in eo mutatio, nisi secundum dispositiones & accidentia: quamuis dici posset mutatio sanguinis in carnem neruos &c. substantialis virtualiter, eo quod anima intellectiua virtutem plurimum habens formarum & animarum sanguinem informat secundum gradum vegetatiuum; carnes autem aut neruos secundum gradum sensitium, id est prout ad ipsa sequitur virtus sentiendi; atque ideo cum sanguis mutatur in carnem, dici potest ea mutatio substantialis virtualiter & per se; quamuis quasi per accidens, id est propter coincidentiam dictorum graduum in vnam & eandem formam substantialem, vt causam vtriusque sufficientem non sit formalis & actualis mutatio secundum formam substantialem. *Ad argu. itaque dico.* primam propositionem esse veram de alimento tantum secundum primam eius transmutationem, qua de primo statu transit in secundum; non autem secundum omnem eius transmutationem. Cui autem ait Aristot. sanguinem esse vltimum alimentum, nomine sanguinis intelligit etiam rorem & cambium: quæ omnia dicuntur vltimum alimentum ad distinctionem alimenti in primo statu, in quo nondum habet formam aliti: in vltimo verò formam habet aliti; sed cum tendentia ad perfectiorem modum habendi; quia mutandum est in partes animalis solidiores & perfectiores.

Obi. 4.

Sol.

Quarto principaliter sic arguit. Sanguis continuo motu exit à corpore humano in terram scissa vena; ergo eadem forma habet esse in corpore humano vsque ad terram: at nemo dicet sanguinem viuere, dum est in terra aut in vase, in quod defluit; ergo neque in corpore humano. *Resp.* sanguinem è vena continuo motu in terram aut in vas effluentem quamdiu continuitatem habet & calorem ac alias dispositiones vitæ necessarias, absque dubio viuere; cessante verò continuatione vel dispositionibus vitam amittere, & æquiuocè tantum esse sanguinem. Et quemadmodum brachium aut crus in corpore marcessit aut crescit & vitam amittit reliquis alijs

A membris illi continuis, & ipso toto homine viuentem, sic mirum non est sanguinem effluentem aut effluxum in ea parte vitam amittere, quæ dispositiones amittit vitæ necessarias, & in reliqua parte intra vel extra venas illi continua viuere; & quia dispositiones istas ferè statim amittit in egressu ob euascentes spiritus; ideo non cogimur admittere sanguinem in terra aut in vase receptum viuere, tametsi cum effluente continetur.

Quinto. Sanguis dum est in venis non nutritur, nec crescit more animalis, hoc est per omnem partem secundum proportionem; sed sicut aqua & cuius liquor infusione alterius augetur; ergo non uiuit. Probatur consequentia; quia propria operatio viuientis est crescere per omnem partem secundum proportionem, quod idem (inquit) intelligendum est de alijs humoribus, qui sanguini admisti sunt in nutrimentum commune animalis, & de spiritibus etiam vitalibus & animalibus. *Resp.* primo falsum esse antecedens; nam sicut caro & ossa, &c. addito alimento in ipsam conuerso crescit in omnem partem, ita & sanguis addito primo alimento in ipsum conuerso crescit in omnem partem; quamuis ob fluidam sui naturam alium etiam ceteris fluidis communem habeat augmenti modum, à quo non facile discerni potest modus augmenti vitalis. *Secundo dico.* hoc augmentum vitale sanguini non deberi ob eam causam, quia est in via ad partes corporis solidiores & principaliores, quibus solis propriè conuenit tale augmentum. Quod idem dicendum est de alijs humoribus sanguini commixtis. De spiritibus autem vitalibus & animalibus neutra pars constare potest, & dici facile posset hoc augmentum eorum naturæ non congruere, nec eis deberi.

Sexto. Contra eandem concl. argum. idem expositior probans vngues & capillos minimè viuere: Quia non augentur more viuientium secundum proportionem ex omni parte quæ est propria operatio viuientium, sine qua nullum viuens reperitur; sed tantum per additionem ex vna parte; ergo. Probat antecedens: quia si quis signet partem aliquam in vnguibus, aut etiam in pilis inter duo puncta, nunquam illa pars fit maior; ergo signum est accretionem harum partium non fieri secundum proportionem, sed per iuxta positionem. *Resp.* primo augmentum secundum proportionem ex omni parte proprium esse supposito viuenti secundum se totum, prout distinguitur ab alio supposito non viuente; non tamen necesse est vt hic modus augmenti conueniat cuilibet parti viuientis, sed unicuique iuxta suam naturam. *Secundo dico* experimentum illud non esse omnino certum ac euidens; quia tamen paruum fieri posset augmentum in ea parte, vt sensu difficillimè aut nullo modo discerni posset: neque enim necesse est in qualibet parte eadem omnino proportionem augmenti seruari, sed iuxta cuiuslibet partis naturam & modum.

CONTRA secundam concl. præsertim quatenus implicat distinctionem sanguinis in nutrimentalem & in sanguinem qui est actu pars humanæ naturæ, argumentatur Suárez *Primo*; quia Scriptura, Concilia & Patres asserentes aut significantes Christi sanguinem fuisse Verbo personaliter vnitum indefinitè loquuntur: indefinita verò locutio æquiualeat vniuersali; ergo omnis sanguis qui fuit in corpore Christi quique ab illo pro nobis effusus est, fuit immediatè vnitus Verbo hypostaticè.

Ad 4.

Resp.

Solut.

Resp. primò Scripturas, Concilia & Patres loqui de sanguine simpliciter & propriè dicto, qui est pars humanæ naturæ; non autem de sanguine nutrimentali qui non est absolutè & propriè sanguis, sed cum addito scilicet nutrimentalis; nec est pars humanæ naturæ sed merum eius nutrimentum. *Secundò* dico falsam esse secundam propositionem, scilicet indefinitam propositionem semper æquivalere vniuersali; alioquin è medio tollendæ esse regulæ logicæ. *Tertiò* dico cum Syluestro in *allegata quest. 31.* prædictas auctoritates intelligendas esse de sanguine salubri, qui fuit effusus vt pretium nostræ redemptionis: hic verò fuit sanguis, qui erat actu pars humanæ naturæ: non autem de sanguine, qui salubriter quidem fuit effusus; non tamen propriè salubris; quia non fuit pretium nostræ redemptionis: hic autem fuit sanguis merè nutrimentalis, qui non erat actu pars humanæ naturæ: vt enim ait Syluester, omnis sanguis effusus à Christo fuit salubriter effusus; quia ad salutem contulit ex parte fundentis per modum meriti; non tamen omnis fuit salubris post effusionem per modum efficientiæ; sed solus ille qui erat pars humanæ naturæ, & cui Deitas erat vnita. *Sed hanc* respons. impugnat Vasq. *capitulo vlt.* Quia sanguis Christi eatenus salutaris nobis fuit; quatenus cū merito fuit effusus; non quia secundum se vnitus esset hypostaticè; ergò nullum est discrimen inter sanguinem salubrem & sanguinem salubriter effusum. Antecedens probatur; quia nostra salus non alio modo ex sanguine Christi fuit, quàm per modum meriti; nam sanguis effusus ex latere post mortem Christi non fuit causa nostræ salutis; quia licet esset vnitus hypostaticè; non fuit effusus meritorie. *Respond.* falsum esse antecedens præcisè & propriè loquendo; quia sanguis Christi non solum per modum meriti media effusione, sicut aliæ Christi operationes fuit nobis salutaris; sed etiam, vt pretium redemptionis, & per modum sacrificij ac instrumèti physicè mouentis & operantis, vt patet ex D. Th. *infra q. 48.* eadem enim est ratio de humanitate & de quacunque eius parte personaliter vnita Verbo; constat autem humanitatem ex vnione ad Verbum in vnitate personæ prædictis modis nobis fuisse salutarem, vt ibidem ait S. D. Cum itaque sanguis nutrimentalis, qui nondum erat actu pars corporis Christi, non esset Verbo personaliter vnitus, non potuit his modis nobis esse salutaris: sed per modum meriti tantum in effusione.

Obiectio. 2.

Secundò arguit Suar. Quia si non totus sanguis, qui fuit in corpore Christi, fuit vnitus scilicet sanguis nutrimentalis; ergò neque totus sanguis qui fuit effusus, fuit vnitus: at consequens est valde falsum; ergò. Probatur falsitas; tum quia totus sanguis effusus à Christo eiusdè valoris censetur in Scriptura & Patribus omnibus; tum etiam quia Clemens VI. definit quilibet guttam sanguinis effusi fuisse infiniti valoris propter vnionem. Confirmatur; nam ex vi verborum consecrationis calicis totus sanguis ponitur sub speciebus: sed vbicumque est sanguis Christi, vel aliqua pars eius, ibi est per concomitantiam totum suppositum Christi; ergò. *Resp.* negando falsitatem consequentis intellecti de toto sanguine, tam simpliciter dicto quàm nutrimentali. Ad probationes dico eas procedere de sanguine simpliciter & propriè dicto, qui est pars humanæ naturæ; non autem de sanguine merè nutrimentali qui non est actu pars humanæ naturæ; neque absolutè sanguis est, sed nu-

Solut.

trimentum tendens ad sanguinem & simile sanguini.

Tertiò arguit: Quia non est verisimile esse in sanguine substantialem varietatem; quauis quo ad accidentalem perfectionem possit esse magis, vel minus purus; ergò. Antecedens probatur: quia illa substantialis distinctio nullo probabili signo colligi aut discerni potest; ergò. Probatur hoc assumptum; quia quo ad exteriora accidentia totus sanguis est eiusdè modi & rationis: totus etiam est in corpore còtinuus: nullus est etià vsus, ad quem vnus sanguis possit deferuire, cui non videatur vtiles etiam alius; ergò. Probatur hæc pars: quia sanguis nutrimentalis & nutritio- ni & actionibus animalis vitæ deferuit, & eo melius quo purior est. *Resp.* hoc argumento probari dictam sanguinis distinctionem nõ esse in sanguine, qui est in venis qui est pars actu humanæ naturæ, & nuncupatur à D. Th. nutrimentalis, quia est vltimum nutrimentum humanæ naturæ: non autem probat sanguinem generaliter & analogicè sumptum non posse dicto modo distingui; ita vt sanguis nutrimentalis sit, qui non est perfectè concoctus; nec habet verè naturam sanguinis; nec adhuc ex epate transiit ad venas. Et per hæc soluitur aliud eiusdè expofitoris argumentum.

CONTRA tertiam conclusionem sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Syluester, Medina, Suarez, Valentia, Vasq. & Aluarez locis supra notatis.

CONTRA quartam concl. sunt arg. quæ referunt & soluunt auctores prædicti.

CONTRA sextam concl. arg. Suar. Quoniam hæc substantiæ non sunt de veritate humanæ naturæ, nec per se requisitæ ad perfectam consistenti- am eius & vitæ operationes; ergò. *Resp.* falsum esse antecedens: nam cum Ros & Cambium sint ex perfectioribus ac solidioribus partibus, quàm sanguis & alij tres humores ad integritatem humanæ naturæ secundum eius esse corruptibile pertinebunt, non minus quam sanguis & alij tres humores.

CONTRA septimam concl. arg. Vasq. Capil. li & vngues non viuunt, neque ad veritatem naturæ sed ad ornatum solum pertinent; ergò non fuerunt vniti hypostaticè Deo. *Resp.* falsum esse antec. vt patet ex dictis.

CONTRA eandem concl. est hoc argum. Capilli & vngues facillimè transmutantur per resolutionem & abscissionem & augmentum; igitur fere continua erat harum partium assumptio & dimissio: ac proinde successu temporis non modica facta fuit assumptæ & dimissæ materiæ mutatio. Quod videtur absurdum & Damasceni illi dicto, veluti axioma commune recepto contrarium: Quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit. *Resp.* nullam hic esse absurditatem sed ita accidisse necessariò dicendum est; non solum in vnguibus & capillis, sed etiam in sanguine & in continua resolutione & nutritione cæterarum partium: Dictum autem illud Damasceni intelligendum est de partibus illis, quæ per se primò fuerunt assumptæ, scilicet de anima & corpore: at partes illæ corporis materiales, quæ continuò resoluuntur & crescunt, assumi de nouo ac dimitti potuerunt; quo ad illam præsertim materiam quæ ad veritatem & perfectionem corporis resurgentis erant necessaria.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum Filius Dei assumpserit animam.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Filius Dei animam non assumpserit. Ioannes enim incarnationis mysterium tradens dixit: Verbum caro factum est, nulla facta de anima mentione. Non autem dicitur caro factum, eo quod sit in carnem conuersum, sed quia carnem assumpsit. Non ergo videtur assumpsisse animam.

Præterea, Anima necessaria est corpori ad hoc, quod per eam viuificetur. Sed ad hoc non fuit necessaria corpori Christi, ut videtur: quia ipsum Verbum Dei, est, de quo dicitur in Ps. Domine apud te est fons vitæ. Superfluum ergo fuisset animam adesse, Verbo præsentem. Deus autem, & natura nihil frustra faciunt: ut etiam Philosophus dicit in primo de Cæ. Ergo videtur, quod Filius Dei animam non assumpserit.

Præterea, Ex vnione anima ad corpus constituitur natura communis, quæ est species humana. In Domino autem Iesu Christo non est communem speciem accipere, ut Dam. dicit in 3. lib. Non igitur assumpsit animam.

Sed contra est, quod Aug. dicit in libro de Agone Christiano, Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei: & sic audiunt, quod dictum est, Verbum caro factum est, ut negent illum hominem, vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam.

Respondetur dicendum, quod sicut dicit August. in lib. de heresibus: opinio fuit primo quidem Arrij, & postea Apollinaris, quod Filius Dei solum carnem assumpsit absque anima, ponentes, quod Verbum fuerit carni loco anima. Ex quo sequebatur, quod in Christo non fuerint due nature, sed una tantum: ex anima enim & carne; una natura humana constituitur.

Sed hac positio stare non potest propter tria. Primum quidem: quia repugnat auctoritati Scripturæ, in qua Dominus de sua anima facit mentionem Matth. 26. Tristis est anima mea usque ad mortem, & Ioann. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam. Sed ad hoc respondebat Apollinaris, quod in his verbis anima metaphorice sumitur: per quem modum in vet. Test. Dei anima commemoratur, Isa. 1. Calendas vestras, & solennitates vestras adiuit anima mea. Sed sicut dicit August. in lib. 83. quæst. Euangelistæ in euangelica narratione narrant, quod miratus est Iesus, & iratus, & contristatus, & quod esuriit. Quæ quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse: sicut ex hoc, quod comedit, & dormiuit, & fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum. Alioquin si & hac ad metaphoram referantur, cum similia legantur in vet. Testam. de Deo, peribit fides Euangelice narrationis. Aliud enim est, quod prophetice nuntiatur in figuris, aliud quod secundum rerum proprietatem ab Euangelistis historicè scribitur. Secundo derogat prædictis error utilitati Incarnationis, quæ est liberatio hominis. Ut enim argumentatur Aug. in

lib. contra Felicianum: Si accepta carne Filius Dei animam omisit, aut innoxiam sciens, medicina indigentem non credidit, aut à se alienam putans, redemptionis beneficio non donauit, aut ex toto insanabilem iudicans, curare nequiuit, aut ut vilem, & quæ nullius vñbus apta videretur, abiecit: Horum duo blasphemiam important in Deum: quomodo enim diceretur Omnipotens, si curare non potuit desperatam? aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus autem alijs, in vno anima causa nescitur, in altero meritum non tenetur. Aut intelligere causam putandum est animæ, qui eam ad accipiendam

A legem habitu infinitæ rationis instructam à peccato voluntaria transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem nouit, qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam? Si originem attendas, pretiosior est anima substantia: si transgressionis culpam, propter intelligentiam, peior est carne. Ego autem Christum, & perfectam sapientiam scio, & purissimam esse non dubito: quorum primo meliorem, & prudentia capacem non despectit: secundo eam, quæ magis fuerat vulnerata, suscepit. Tertio verò hac positio est contra ipsam Incarnationis veritatem: caro enim, & ceteræ partes hominis per animam speciem sortiuntur. Vnde recedente anima, non est os, aut caro, nisi æquiuocè, ut patet per Philosophum in 2. de anima, & 7. Metaphys.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Verbum caro factum est, caro ponitur pro toto homine: ac si diceret, Verbum homo factum est: sicut & Isa. 40. Videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est. Ideo autem totus homo per carnem significatur: quia, ut dicitur in auctoritate inducta, per carnem Filius Dei visibilis apparuit. Vnde subditur, Et vidimus gloriam eius. Vel ideo: quia ut Aug. dicit in lib. 83. quæst. in tota illa vnitate susceptionis principale Verbum est, extrema autem, atque vltima caro. Volens itaque Euangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum, & carnem nominauit, omittens animam, quæ est Verbo inferior, carne præstantior. Rationabile etiam fuit, ut nominaret carnem: quæ propter hoc, quod magis distat à Verbo, minus assumptilis videbatur.

Ad secundum dicendum, quod Verbum est fons vitæ, sicut prima causa vitæ effectiua. Sed anima est principium vitæ corpori tanquam forma ipsius: forma autem est effectus agentis. Vnde ex præsentia Verbi magis concludi posset, quod corpus esset animatum: sicut ex præsentia ignis potest concludi, quod corpus, cui ignis adheret, sit calidum.

Ad tertium dicendum, quod non est inconueniens, imò necessarium dicere, quod in Christo fuerit natura, quæ constituitur per animam corpori aduenientem. Damasc. autem negat, in Domino Iesu Christo esse communem speciem, quasi aliquid tertium resultans ex vnione diuinitatis, & humanitatis.

Sensus quæsti.

SENSVS & ratio præsentis quæsti patet ex littera S. Thom. de anima namque propriè dicta fermo est aduersus hæresim Arrij & Apollinaris.

Forma Textus.

REFERTUR primo error Arrij & Apollinaris negantium Filium Dei animam assumpsisse. Secundo confutatur tribus argumentis & simul probatur opposita VERITAS; nimirum Dei filium animam assumpsisse. Primum argumentum est ex sacris litteris, in quibus Christus de sua anima facit mentionem, ut patet Matth. 26. & Ioan. 10. Et quia respondebat Apollinaris, animam in illis locis metaphorice sumi, hanc interpretationem confutat argumento ex Augustino desumpto, ut patet in textu. Secundum argumentum est: quoniam error prædictus derogat utilitati Incarnationis; ergo. Antecedens probatur ratione ex Augustino ad Verbum relata. Tertium argumentum est: Quia positio illa est contra ipsam Incarnationis veritatem; ergo. Antecedens probatur; quia sine anima non est os, aut caro nisi æquiuocè; ergo. Probatur hoc assumptum, primo: quia caro, & ceteræ partes hominis per animam speciem

for-

Tortiuntur. Secundo auctoritate Philosophi in A
Secundo de anima, & 7. Metaph.

Expositio Textus.

LEGENDA sunt quæ breuiter ac eruditè no-
tat hic Med. & Magister Por. in appendicè &
Val. supra q. 2. puncto 1. 9. Quartus error: nihil e-
nim aliud addendum occurrit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei assumere debuerit intellectum.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Filius
Dei non assumpserit mentem humanam, siue
intellectum. Vbi enim est presentia rei, non requiritur
eius imago. Sed homo secundum mentem est ad ima-
ginem Dei, vt Aug. dicit in lib. de Trin. Cum ergo in
Christo fuerit presentia ipsius diuini Verbi, non oportet
tunc ibi esse mentem humanam.
Præterea, Maior lux offuscat minorem. Sed Verbum
Dei, quod est lux illuminans omnem hominem veni-
entem in hunc mundum (vt dicitur Io. 1.) comparatur
ad mentem, sicut lux maior ad minorem: quia, &
ipsa mens lux quadam est, quasi lucerna illuminata à
prima luce. Prouerb. 10. Lucerna Domini spiraculum
hominis. Ergo in Christo, qui est Verbum Dei, non fuit
necessarium esse mentem humanam.

Præterea: Assumptio humana natura à Dei Verbo,
dicitur incarnatio eius. Sed intellectus, siue mens hu-
mano neque est caro, neque est actus carnis, quia nul-
lus corporis actus est: vt probatur in tertio de Anima.
Ergo videtur, quod Filius Dei humanam mentem non
assumpserit.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de si. ad
Pe. Firmissime tene, & nullatenus dubites Christum
Filium Dei habere veram nostri generis carnem, & ani-
mam rationalem, qui de carne sua dicit, Palpate
& videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, si-
cut me videtis habere, Luc. vlt. Animam quoque ha-
bere ostendit dicens, Ego pono animam meam, & te-
rum sumo eam. Io. 10. Intellectum quoque anima osten-
dit se habere dicens, Discite à me, quia mitis sum, &
humilis corde, Matt. 11. Et de ipso per Prophetam Deus
dicit, Ecce intelliget puer meus, Isa. 52.

Respondet dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de
heresibus, Apollinarista de anima Christi à Catholica
Ecclesia dissenserunt, dicentes, sicut Arriani, Deum
Christum carnem solam sine anima suscepisse. In qua
questionis testimonij: Euangelicis victi, mentem de-
fuisse animam Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea
fuisse dixerunt. Sed hec positio eisdem rationibus con-
uincitur, sicut & prædicta. Primum enim hoc aduersa-
tur narrationi Euangelicæ, quæ commemorat eum fu-
isse miratum, vt patet Matth. 8. Admiratio autem
absque ratione esse non potest: quia importat collatio-
nem effectus ad causam: dum scilicet aliquis videt ef-
fectum, cuius causam ignorat, & querit: vt dicitur in
principio Metaphysicæ. Secundo repugnat utilitati In-
carnationis, quæ est iustificatio hominis à peccato. Ani-
ma enim humana non est capax peccati, nec gratie
iustificantis, nisi per mentem. Vnde præcipue oportuit
mentem humanam assumi. Vnde dicit Damascen. in
3. lib. quod Dei Verbum assumpsit corpus, & animam
intellectualem, & rationalem. Et postea subdit, To-
tus totus vnitus est, vt toti mihi salutem largiretur:
quod enim in assumptum est, incurabile est. Tertio hoc
repugnat veritati Incarnationis: cum enim corpus pro-
portionetur animæ, sicut materia propriæ formæ, non
est verè caro humana, quæ non est perfectæ animæ

humana, scilicet rationali. Et ideo, si Christus animam
sine mente habuisset, non habuisset veram carnem hu-
manam, sed bestialem: quia per solam mentem anima
nostra differt ab anima bestiali. Vnde dicit Aug. in lib.
83. q. quod secundum hunc errorem sequeretur, quod
Filius Dei beluam quandam cum figura humani cor-
poris suscepisset. Quod iterum repugnat veritati diui-
næ, quæ nullam patitur fictionis falsitatem.
Ad primum ergo dicendum, quod vbi est ipsa res per
sui presentiam, non requiritur eius imago ad hoc, quod
suppleat locum rei: sicut, vbi est imperator, milites non
venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cum
presentia rei imago ipsius, vt perficiatur ex ipsa rei præ-
sentia, sicut imago in cera perficitur per impressionem
figilli, & imago hominis resultat in speculo per eius præ-
sentiam. Vnde ad perficiendam mentem humanam,
necessarium fuit, quod eam sibi Verbum Dei vnue-
rit.

Ad secundum dicendum, quod lux maior euacuat
lucem minorem alterius corporis illuminantis, non ta-
men euacuat, sed perficit lucem corporis illuminati:
ad presentiam enim solis, stellarum lux obscuratur,
sed aeris lumen perficitur. Intellectus autem, seu mens
hominis est quasi lux illuminata à luce diuini Verbi:
ideo per presentiam Verbi non euacuatur mens homi-
nis, sed magis perficitur.

Ad tertium dicendum, quod, licet potentia intelle-
ctiua non sit alicuius corporis actus: ipsa tamen essentia
animæ humane, quæ est forma corporis, requiritur,
quod sit nobilior ad hoc, quod habeat potentiam intel-
legendi: & ideo necesse est corpus melius dispositum ei
respondeat.

Sensus questii.

SUMITVR hic intellectus tam pro potentia
intelligendi quam pro ipsa animæ rationalis
essentia, ex qua veluti ex fonte vis intellectiua
promanât; sed quis horum duorum sensus sit al-
teri præponendus, non facile dixerim: si tamen
vnionem ipsam hypostaticam attendamus, cer-
tum est hic principaliter animam rationalem in-
tendi: illi enim per se ac immediate conuenit af-
fumi. Potentia verò intellectiua dicitur affumi,
quatenus facultas est animæ Verbo personaliter
vnita: si verò finem Incarnationis, qui est re-
demptio facta per operationes intellectus & vo-
luntatis, consideremus, de virtute intellectiua
principaliter inquiri certum est & priori quidē
sensui fauet, tertia probatio S. D. in textu: po-
steriori verò duæ priores. Argumentum autem
sed contra vtrumque complectitur sensum. Et
quoniam vnio principalior est operatione, &
ex anima rationali, velut ex radice procedit
intellectus: cuius nobilitas & abstractio ex ani-
mæ rationalis nobilitate & abstractione deri-
uatur, quantum ex intellectus operatione ra-
tionalis animæ natura, vt ab effectu nobis no-
tiori cognoscatur, idē simpliciter loquendo
de intellectu quæstio principaliter est, pro-
ut idem est quod anima intellectiua siue ra-
tionalis. Hunc autem esse legitimum hu-
ius quæsti sensum satis clarè patet ex dis-
putatione Sancti. Doct. aduersus Apollinarem
in quarta cont. gent. cap. 33. Vbi probat Ver-
bum animam assumpsisse rationalem contra
dicendum hæreticum asserentem illum assum-
psisse animam sensitivam. Vide etiam,
quæ circa sensum huius quæsti
notat Suarez.

Forma Textus.

REFERITUR primò ex Augustino hæresis Apollinaristarum dicentium Deum Christum carnem solam sine anima rationali suscepisse. Deinde tribus rationibus confutatur & eisdem probatur opposita veritas, nimirum debuisse Dei filium animam rationalem & Mentem assumere. Prima ratio est; quia opinio illa aduersatur narrationi euangelicæ &c. Secunda ratio est; quia repugnat utilitati Incarnationis, quæ est iustificatio hominis à peccato &c. Tertia ratio est; quia repugnat veritati Incarnationis.

Expositio Textus.

HAERESIM Apollinaris refert accuratè & confutat Valsq. disp. 37. c. 1. & 2.

Circa primam rationem nota declarationem Cai. Quomodo autem in Christo fuerit administratio, declarat S. D. & expositores infra quaest. 15. art. 8.

Circa secundam & tertiam rationem aduertè, potuisse quidem Deum per sui potentiam absolutam animam assumere sine mente, & actiones eius ac assumptæ naturæ ad iustificationem hominis ordinare, & per eas efficaciter hominem à perditione liberare: quamvis ea liberatio non fuisset per modum meriti, sed alijs modis, puta redemptionis, sacrificij & efficientiæ physicæ, sed longe minor fuisset in hac assumptione ac liberationis modo congruentia ob secundam & tertiam rationem D. Th. in textu; in quibus Verbum repugnantia solam conuenientia negationem importat: nam quod attinet ad secundam rationem, certum est homines per actiones & passiones assumptæ naturæ, etiam si nulla esset in ea gratia habitualis, potuisse iustificari (quāvis non ita congruè) quoniam ex gratia vniōnis valor in eas deriuaretur infinitus. Tertia verò ratio, quæ magis virget, probat eam assumptionem repugnare veritati diuinæ, supposito quòd Deus alia via veritatem aperiendo mentes hominum non præsauerat ab errore; sed facta veritatis manifestatione sola superesset minor conuenientia. Vide præterea quæ notat hic Med. & Por. in appendice.

QVAESTIO SEXTA.

De modo assumptionis quantum ad ordinem in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de ordine Assumptionis prædictæ.

Circa quod queruntur sex.

Primò, utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

Secundo, utrum assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

Tertiò, utrum anima fuerit prius assumpta, quam caro.

Quartò, utrum caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quam anima unita.

Quintò, utrum tota humana natura sit assumpta mediante partibus.

Sextò, utrum sit assumpta mediante gratia.

Ratio ordinis.

IN NATURA assumpta à Filio Dei consideramus primò naturalia substantialia, quales sunt partes eius essentielles scilicet anima & caro & ipsa tota natura. Secundo superadditas perfe-

ctiones supernaturales, ex quibus præcipua est gratia; igitur de ordine assumptionis humanæ naturæ agit primo S. D. quo ad substantialia inter se comparata in primis 5. art. Deinde quo ad substantialia per comparisonem ad gratiam in ultimo articulo. Quo ad substantialia verò inter se comparata, duplex ordo in assumptione potest inter ea considerari, scilicet naturæ & temporis. Differit ergo primò S. D. de utroque ordine assumptionis inter partes essentielles humanæ naturæ, quæ sunt anima & caro, in primis quatuor articulis: deinde de ordine assumptionis inter totam humanam naturam, & eius partes in quinto articulo. Quo ad ordinem autem assumptionis inter partes, queritur primò de ordine naturæ in 1. & 2. articulo. deinde de ordine temporis in tertio & quarto articulo. Prius autem agit S. D. de ordine naturæ quam de ordine temporis, primò quia assumptioni ut assumptio est, proximior & ut ita dicam intimior est ordo naturæ, quæ ordo temporis: quoniam ordo naturæ de quo queritur, est ordo causalitatis in assumptione passiva; quatenus scilicet vnum est alteri causa siue ratio, quòd sit assumptibile: ordo verò temporis omnino extrinsecus & per accidens se habet ad assumptionem: secundo quia ordo doctrinæ postulat, ut primò quæ vera sunt & ex principijs notis lumine naturali sunt demonstrabilia, præmittantur: deinde falsitates excludantur, quæ circa eandem materiam, licet non secundum eandem rationem catholicæ veritati sunt aduersæ.

Cum itaque sit in assumptione partium humanitatis verus ordo naturæ: nullus autem sit ordo temporis & hunc statuere sit error intollerabilis, rectè prius de ordine naturæ quàm de ordine temporis quælibet proponuntur. Et quia prima & notissima comparatio partium secundum ordinem naturæ est illa, quæ fit inter carnem siue corpus & animam, quæ sunt veræ & reales partes humanitatis: altera verò magis occulta est illa, quæ est inter animam & spiritum siue mentem, qui sunt duo gradus vel quasi duæ partes animæ secundum rationem; ideo primo agit de ordine assumptionis inter carnem & animam in primo art. Deinde de ordine assumptionis inter animam & spiritum siue mentem in secundo articulo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei non assumpserit carnem mediante anima, ar. 1. & disp. 3 q. 5. a. 2. Perfectior enim est modus, quo Filius Dei vnitur humane naturæ, & partibus eius, quàm quo est in omnibus creaturis. Sed in creaturis est immediate per essentiam, potentiam, & presentiam. Ergo multò magis Filius Dei immediate vnitur carni, & non mediante anima.

Præterea: Anima & caro unita sunt Dei Verbo in unitate hypostasis, seu personæ. Sed corpus immediate pertinet ad personam, siue hypostasis hominis, sicut & anima, quoniam imò magis videtur se de propinquo habere ad hypostasis corpus, quòd est materia, quàm anima, quæ est forma: quia principium indiuiduationis, quæ importatur in nomine Hypostasis, videtur esse materia. Ergo Filius Dei non assumpsit carnem mediante anima.

Præterea: Remoto medio separantur ea, quæ per mediū coniunguntur: sicut remotæ a superficie, cessaret color à corpore, qui inest corpori per superficiem. Sed separata per mortem anima, adhuc remanet vnio Verbi ad